



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXVII. Vtrùm possit Confessio diuidi ratione alicuius damni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Complura sunt impedimēta, quò minùs *Respōsio.*
 horum omniū integritas retineri queat,
 cuiusmodi sunt graue damnū, diuersā pec-
 catorum ratio, Sacerdotis improbitas, pœ-
 nitentis obliuio, ac nonnulla alia.

Potēstne Confessio diuidi ratione *Questio*
alicuius damni? *XXVII.*

Imò maximè: Si enim ex alicuius peccati *Respōsio.*
 manifestatione, proprio Sacerdoti facta,
 oboriretur grande aliquod damnum anime,
 corporis, vel infamiæ publicæ, idque vel Sa-
 cerdoti, cui pœnitens confitetur, vel ipsi pœ-
 nitenti, vel tertio alicui proximo; Confessio
 secari potest: Verbi gratia; Si confitens oc-
 cidit fratrem suum, qui ex alio parente etiā
 frater erat ipsius Confessarij, quem verifi-
 militer suspicatur integra audita Confessio-
 ne, ad vlciscendum fratris necem irritatum
 iri, si alium nancisci nequit Confessarium,
 peccatum id silentio obruere potest.

Idem omninò dicendum est, quando im-
 minet periculum animæ; ratio huius in-
 promptu est, quia nec D E V S nec Eccle-
 sia ad huiusmodi Confessionis integritatem
 pœnitentes obligare voluit, quæ tantū crea-
 ret periculum aut damnum.

Præterea, cū duo occurrunt præcepta,
 quæ simul obseruari nequeunt; tum id, quod
 maius

Caput III. De Qualitate

maius, præferendum est ei, quod minorem continet ad sui obseruationē obligandi vim: Iam vitare damnum vitæ corporalis & spiritalis est iuris naturæ; Confessio autē annua, potissimum in Quadragesima est iuris humani: Ergo necessarium nō est, poenitentem se talis damni periculo exponere.

Quæstio *Potestne poenitens Confessionem diu-*
XXVIII. *dere, ne suum scandalizet Con-*
fessarium?

Respōsio. **O**bligatio integrè cōfitendi propter scandalum Sacerdotis vitādum, dubio procul cessat; quia non minùs, imò magis tenemur ad salutem spiritualem proximi cōseruandā, & mortem spiritualē eius propulsandam, quàm ad vitandam corporalem proximi, vel propriam, & quàm ad vitandū propriam infamiā; sed si Confessio integra fieri non potest, sine periculo verifimilis infamie, aut mortis corporalis alicuius, cessat obligatio integrè confitendi. Igitur etiam in casu præsentī.

Bernard. in Deinde ex regula B. Bernardi, Quod pro
libro de di- charitate institutum est, contra charitatem
spensat. & non debet militare. In casu autem, si esset ne-
præceptis. cessarium integrè confiteri, hoc ipsum contra
charitatem proximi militaret. Igitur in
casu, nec DEVS, nec Ecclesia obligat ad ta-
lem integritatem.

Præ-